



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

92. Quidnam egerit Pipinus post necem S. Lamberti & refutatur Vulgata
opinio ex Marcell. desu[m]pta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

320 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
verò , teste Molano in Indiculo Sanctorum , Martyrium
subierint sub Pipino filio Begge , consequitur cælos petijs.
Se ante annum 715.

D I S S E R T A T I O L X X X X I I .

Quidnam egerit Pipinus post necem S.
Lamberti & refutatur Vulgata opinio
ex Marcellino desumpta.

SImul ac auditum fuerat Pipino Hubertum Infulis
decoratum Traie&um appulisse , non mora,splen-
dido cinctus comitatu eò properat , Cognato suo
de recenti dignitate gratulaturus & Episcopum
splendidis officijs demeriturus. Ast S. Antistes
memor moniti quod Dominus dedit Episcopo Ecclesiæ
Sardis : esto vigilans & confirma cetera quæ moriturae-
rant , Pipinum licet in se officiosum , fēdis adulterij vn-
dis etiamnum innatantem hortari ad pænitentiam , in-
stigare , arguere , increpare ; negare sibi quidquam cum
illo aut esse aut fore commune , priusquam ad mentem
redeat,minari se ei Ecclesiæ communione interdicturum
nisi resipiscat , idque palam orbi facturum. Mouetur his-
ce non parum Pipinus , sed non permouetur. tandem ta-
men non desistente Huberto , suo Pastori obedit , ut post-
modum dicetur.

Interim hīc conueniendi sunt qui ducti relatione Mar-
cellini , qua cap 25. enarrat Plectrudem per Swibertum &
Agilolphum Episcopos rogasse Pipinum moribundum , ne
filios suos legitimos , Drogonem & Grimoaldum exha-
redaret , & nihilominus Pipinus moriens ijs præteritis ,
Carolum Martellum illegitimum hæredem inscriperit ,
colligunt

colligunt constare miserum Pipinum vsque ad obitū cum
pellice perseverasse. Vide Spondanum ad annum 698. vbi
ait: Pipinum miserum numquam destitisse à consortio
pellicis, idque ex Baronio quem compendiat.

Idem iter ineunt multi, inter quos & Furmerius lib. 3.
Frisię cap. 6. eodem duce; sed quam cæco plus satis in-
notuit. Nos igitur illum non morati, astruimus sub hunc
annum Pipinum abiecto scorto Plectrudem iam ante re-
pudiata in coniugem rursum admisisse simulque vsque ad
terminū vitę in mutuo cōnubij fædere perstitisse. Conuin-
cit i. summa deinceps cōmunicatio inter vtrosque. Nam
circa præsentē annum Pipinus vna cum Plectrude fundat
monasterium Andainum nunc S. Huberti in Ardenna. Fa-
ctum describit Ioannes Roberti ex vetusto autentico Ma-
nuscripto eiusdem monasterij sic: *Temporibus Pipini, qui*
maior Domus erat sub Theodorico Rege, uxor eius Plectrudis
Amberlacum sua ditionis fiscum parabat adire: & per predictum
locum transiens, tum iatio vasta solitudinis; tum feruore vstatu
confecta, itidem in pratis virentibus decrevit aliquandiu requi-
escere. & cum post exactam refectionem comites eius longiori somno
premerentur, ipsa curiosior pro equis pascentibus, ne per silvas vagi-
rentur, neminem excitans, ipsa sola surrexit, equisq; recollectis,
iam laſior, dum super aceruum lapidum ibiforiē congestum reside-
ret, chartulam quandam cælitus allapsam, opstupuit apud se caden-
tem. Quam, licet pauida, corripuit; & nemini comitum ausa cre-
dere secretum, ad virum quantocius decrevit reuerendum. Cui
cum per ordinem retulisset ordinem miraculi; ille euocato Beregiso
viro Venerabili (qui tunc in Dei rebus obsequebatur eis) chartulam
ei obtulit exponendam sibi. Consultus sacerdos Dei ei respondit, lo-
cum quo eadem chartula deciderat à Deo esse electum, ex quomul-
torum anima transire deberent ad regna cælorum. Pipino vero sub-
surgente quid sibi snde videretur agendum, Beregisim, capita oc-

S I

caſione

casione (qui iam dudum apud se deliberauerat, mundo relicto, Deo liberius vacare) subintulit Principi, ne quantum in se esset, diuinæ dispositioni deesset, paratum se solitudinem illam colendam suscipere, si eam sibi ille concederet. Placuit Pipino Berego si propositum, licet grauare inur admodum, à se suum emitte re carissimum. Illo tamen saepius insidente, ut rem quantocius acceleraret, Pipinus cum comitatu Curialium suorum, venit ad locum inuenta cœlius chartæ. Ibifacta legali donatione, & ratâ coram Principibus suis astipulatione, locum ipsum perpetuò habendū Berego donauit. Ecce fiscū vocari Plectrudis qui tū erat Pipini Principis, sed eius ratione coniugij. Vide obambulantem Plectrudē nonnihil à viro suo & inuenta charta ad illum rediisse, scilicet, quo iam vt viro vtebatur vxor, cum quo iā in gratiam pristinumque ius redierat. Non amplius illa Coloniae lugens detinetur. Beregicus illis obtemperat in Dei rebus, non Pipino solum, sed utrique, coniugum pari. nulla hic Alpais. Contigisse vero datam historiam circa annum 700. docet Ioannes Roberti qui ex professores Andannensis coenobij scrutatus vulgauit. Nec obstat quod legatur, temporibus Pipini qui Maior domus erat sub Theodorico Rege &c. qui Theodoricus obiit anno 690. aut 91. non enim illis verbis significatur celebris Chartæ illa inuentio aut donatio facta sub Theodorico, sed solum Pipinum maiorem Domus creatum sub eo Rege & eius principatum sub eo incepisse, quod verissimum est. Gelenus in Sacris Coloniensisibus Syn>tag: 9. lib. 3. ait Pipinum post diuortium semel tentatum & S. Lamberti cædem, quæ fuit anno 698. cum Plectrude Capitolium Coloniense, quod erat Palatum Principum, vertisse in Monasterium Monialium ac munificè dotasse, prout, inquit, in Tabellarijs Ecclesiæ legitur. Verbis, post tentatum semel diuortium, significatur diuortium quidem tentatum, sed non consummatum abiecit Alpaide.

paide: addens, simul, excludit opinionem afferentium
Pipinum post reconciliationem reuocatâ pellice ad vomi-
tum rediisse: donatione & fundatione simultaneis cerni-
tur utriusque reconiunctio. Præterea anno 706. Pipinus
cum Plectrude coniuge donat S. Willibrordo medieta-
tem fisci Epternacensis. Anno 708. ad preces & instantiam
Plectrudis dat S. Sviberto Werdam insulam. Paulò an-
te mortem donat S. Willibrordo Villam Suestram (**Huste-**
ren) in pago Mosanorum per Plectrudem ab ingenuis
coemptam, ut loquitur Theofridus in M. S. vita S. Willi-
brordi. Mortuo Pipino Plectrudis eius thesauros conser-
uat: Theobaldum nepotem Maiorem constituit. Vides
hic summam & continuam communicationē Pipini cum
legitima coniuge: non auditur, non rogatur, nil agit hīc
Alpais. 2. Non est verosimile Pipinum animo pium, be-
nignum, plurium Ecclesiarum & monasteriorum funda-
torem, Sanctorū Apostolicorū virorum amantissimum, vi-
fis terribilibus flagellis desuper vibratis quæ iram Dei &
Antistitis Lamberti innocentiam declarabant, auditis mo-
nitionibus S. Huberti aliorumque Sacerdotum, inter quos
puto S. Willib. quem libenter audiebat, partes suas non
omisisse, cognitis miraculis quæ ad sepulchrum Marty-
ris frequentia patabantur, non est, inquam, verosimile his
circumstantijs adeo pericliciter in suo peccato perdu-
rasse. 3. graue scandalum partum erat omnium fidelium
animis; populus in adulterum & pastoricidam fremebat
seditioni proximus; non credendum est tanti mali autho-
rem & peioris futuram apud se amplius conuersari volu-
isse. Hanc nostram conclusionem aperte enuntiant Lei-
densis lib. 1. Chronicap. 21. Fasciculus temporum: A-
dolphus Happaert, cuius sententiam profert Roberti ipsi-
que assentitur. Nobiscum etiam est Franciscus Haræus

Sf 2

Haræus

Haræus nisi quod addat Pipinum ad vomitum redijſſe iterato meretrice recepta, colligens ex eo quod moriens Cat. Martellum scripſerit hæredem. Gramaius ex veteri, in Brabantia monumento Ecclesiæ Hugardiensis, quæ Collegij sui fundatricem agnoscit Alpaidem, narratis Dodonis & complicum poenit. subdit, Alpais perpetuo contabescens mœrore factum expiauit, sufficienter eius dimissionē post S. Lamberti necem insinuans.

Fundamentum contrariæ opinionis quod ex cap. 25. Marcellini desumptum est, refutabimus dum ad obitum Pipini venerimus, vbi plura ad nostræ confirmationem adducentur & simul manifestabitur Pipinum non iniuriosè Martellum hæredem ordinasse, consequenter nec ex eo colligi dimissam Alpaidem resumpſisse,

DISSERTATIO LXXXIII.

De Sergio Pontifice S. Willibrordi Ordinatore.



Nno 701. vitę stationem cedit Beatus pontifex Sergius cui plurimum obligatur Frisia, ut pote quę eius causa bis S. Willibrord. adiijt. Semel 1º. introitu ex Hybernia, ab eodem prædicandi potestate plurimisque ad sacram suscep̄tam spatam elaborandam utilissimis & necessarijs instructus rediens. Beda lib. 5. cap. 12. Iterum à Pipino delegatus anno 696. pro Episcopalibus Insulis obtinendis, pro nouo Ultraiectensi Episcopatu instituendo, roborando ac ampliori facultate spirituali Frisios gubernandi